



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

Disputatio LVI. De modo, quo accidentia existunt post consecrationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

sicut color in superficie, vt ipsa experientia videtur ostendere: & potest etiam declarari, quia per eandem substantiam quantitatem extenduntur alia qualitates, & omnes, quantitatis dimensiones recipiunt; & hoc non fit, quia informantur quantitate: ergo erit e contrario, quia ille immediate inhæreant quacitati. Ex his ergo optime concludit D. Thom. in ratione secunda, ablato subiecto primario, seu fundamentali accidentium, quod est substantia, solū mutari quantitatem, quoad existendi modum, reliqua vero eodē modo manere in quantitate fundata: quia nullam aliam mutationem necesse est fieri ad veritatem huius mysterij. Et hoc confirmat in prima ratione satis probabilis, & sensibili experientia, qua videmus manere ibi quoddam, quantum coloratum, & cetera. Tertiam vero rationem adhibet valde metaphysicā, quam pertractare non est necesse: inuoluit enim longam disputationem de principio indiuiduationis ab hoc loco satis alienam. Neq̄ in solutionibus argumentorum aliquid declarandum occurrit.

DISPUTATIO LVI.

De modo existendi accidentium panis & vini post consecrationem.

Disput. 15 de
Eucharistia.

Diximus in superioribus, hoc Eucharistia sacramentum ex parte materie duobus consistere; corpore, scilicet & sanguine Christi realiter præsentem; de quo hæc tenent dictum est; & accidentibus panis & vini; de quibus subinde dicendum sequitur. Duo autem in illis consideranda occurrunt. vnum est eorum esse, aliud, quo modo agant, & participantur: illud prius declarabimus in hac disputatione; posterius vero in sequente.

SECTIO I.

Quæ accidentia panis & vini post consecrationem manent sine substantia.

Thom.

Alia.

Spponimus vt certum, manere aliqua accidentia panis & vini consecratione peracta, quod non solum hinc certum est, vt patet ex Conc. Trident. sessio. 13. cano. 2. sed etiam sensibus est manifestum. Quamquam non defuerit vnus Petrus de Aliaco, qui dixerit, sensibus non satis iudicari, an illa sint vera, vel apparentia: posseq̄ probabiliter negari: quod si verum est, nullum plane iudicium ob sensuum experimentum, potest esse certum, etiam in obiectis propriis ac per se ipsorum sensuum. Quo nihil potest dici absurdius: ad hanc ergo certitudinem satis est, vt naturaliter sit euidens ibi non posse esse deceptionem, & alioqui nullum sit fundamentum ad fingendum miraculum: præsertim, cum illud fingere contra fidem sit, & contra veritatem sensibilibus sacramenti. Atq̄ hinc vterius colligitur, hæc accidentia, quæ in hoc sacramento videntur, esse eadem numero, quæ in pane & vino præferunt: de quo minus certum existimari potest sensuum iudicium: quia non minori sensuum apparentia seu experimento videntur manere eadem numero accidentia in corpore mortuo, quæ immediate antea fuerant in viuo: & tamen multis Philosophis visum est, non esse eadem: nihilominus in præsentem res est euidentior: quia neq̄ in ipsis, neque in subiecto eorū facta est aliqua naturalis mutatio, quæ sensibus, aut ratione naturali discerni possit: & est etiam res certa in doctrina fidei, vt patet ex Conc. Tridentino loco nuper citato, Florentin. in decreto Eugenij, Constantiens. sessione 8. Lateranens. in cap. Firmiter, de Summ. Trinitat. & ex communi traditione Sanctorum, quos supra retuli tractando de reali præsentia Christi in Eucharistia, & aliorum, Fr. Suarez. Tom. 3.

Thom.

Alia.

Alia.

Alia.

Alia.

Alia.

qui referuntur de consecrat. distinct. 2. capit. Quia corpus, cap. Quia passus, cap. Forte, cap. Sanguis, cap. Hoc est, cap. Vtrum sub figura. Omnes enim docent, sub eisdem accidentibus corpus & sanguinem Christi contineri, sub quibus prius substantia panis & vini continebatur. Idemque docet Hugo de Sanct. Viſt. 2. de sacrament. part. 8. capit. 7. Diuus Thomas hic, & supra quæstion. 75. artic. 5. & optimè 4. contra Gent. c. 36. Alenf. 4. part. quæst. 40. Gabriel lectio. 44. in Canon. & reliqui Theologi in 4. distinction. 12. Ratio vero seu congruentia huius est, quia in primis, ad rationem sacramenti necessarium fuit, vt sub signo sensibili Christus sumeretur. Secundò, quia oportuit CHRISTVM manere sub aliena specie, vt fides conseruaretur & exerceretur, propriis sensibus diuinam autoritatem præferendo: propter quod sacramentum hoc, quasi per Antonomahiam, dictum est mysterium fidei, quia in eo aliud videtur, & aliud traditur: vt dicitur in cap. Cum Martha, de Celebratione Missarum. Vnde, & vtile fuit, vt hoc mysterium infidelibus esset occultum: item fuit ratione sacramenti, vt posset manducari, & bibi: tum in ratione sacrificij, vt posset in altari offerri, & necessarium ad conuenientem usum fidelium tum in cruce immolari. Ad hæc autem omnia sufficiunt, & aptiora sunt eadem numero accidentia, quæ in pane & vino extiterunt, & facilius fuit, illa eadem conseruari, quam illis destructis, alia omnino similia sine subiecto creati: fuit etiam hoc magis expediens ad veritatem conuersionis, vt aliquid vtrique termino commune maneret: ac deniq̄ ipsa verba formæ hoc indicant, & ad suam veritatem requirunt, vt pronomen (Hoc) possit aliquod indiuiduum sensibile designare, quod in principio & termino prolationis idem sit, saltem per habitudinem ad eadem numero accidentia. Atque hinc vterius concludo, & sumo vt certum, manere post consecrationem eadem numero accidentia, non solum quoad essentiam, sed etiam quoad existentiam, vel quia existentia (iuxta veram sententiam) nihil est, nisi actualis entitas rei: vnde fieri non potest, vt maneat eadem numero entitas essentia realis & actualis sub diuersis existentis, vt in primo tomo de Incarnatione late tractaui: vel etiam si demus, distinguui in re ipsa existentiam ab essentia actuali, posseque variari existentiam in eadem numero essentia, nihilominus hic nulla est necessitas, nec ratio probabilis ad hoc asserendum, & multiplicanda miracula, quia non magis pender à subiecto existentia connaturalis accidenti, quam essentia: vnde nulla est ratio, cur vna maneat, & non alia: & alioqui, saltem ex natura rei, vt essentia accidentis & cuiuscunq̄ formæ conseruentur eadem in indiuiduo, & in entitate sua, necesse est, vt eandem existentiam retineat: manent ergo eadē numero accidentia, quoad essentiam, & existentiam. Ex his autem, quæ diximus, non probatur, omnia accidentia panis & vini post consecrationem manere, sed solum aliqua, præsertim ea, quæ externis sensibus per se percipi possunt: & ideo explicandum superest, quod in hoc certo tenendum sit. Soto enim in 4. d. 9. q. 1. art. 5. censet esse errorem negare, quod maneat omnia accidentia panis & vini, etiam propriae passionis: nam, licet Concilia indefinite dicant, manere accidentia, seu (vt ipsa loquuntur) species panis & vini, tamen in huiusmodi locutionibus, quæ doctrinales sunt: indefinita æquiualeat vniuersali. In contrarium vero est ratio nuper facta: item, quia multi existimant, esse aliquas proprias passionis ita intrinsecas, vt non possint à subiecto separari: & quædam esse accidentia, quæ à substantia non distinguuntur, vt res omnino distinctæ, sed tantum, vt modi, qui etiam manere non possunt, destructo subiecto.

Dicendum est ergo primo, certum esse, ablata a. Censur. substantia panis & vini post consecrationem manere omnia

omnia accidentia, quæ per se possunt sensibus percipi, hoc probant, vt dixi, omnia, quæ ex Conciliis & Patribus adduximus, & experientia ipsa, quæ necessaria fuit, vt mysterium fidei esset occultum: quia, si aliquod accidens per se sensibile non maneret; ergo posset hoc naturaliter cognosci quadam naturali, seu morali euidentiâ: nam, si ante consecrationem sentiretur, verbi gratia, odor vini, & statim post verba consecrationis prolata non sentiretur, esset humano modo euidens fuisse ablatum: ergo eodem modo esset euidens, ad præsentiam illorum verborum aliquam realem mutationem ibi esse factam: ergo mysterium consecrationis aliquo modo experimento cognosceretur. Quæ ratio potest eodem modo fieri in obiecto cuiuscunque sensus, imo & in communibus sensibilibus, vt figura, &c. Nam de iis etiam factis euidenter iudicat sensus, præcipue quando sunt factis applicata, & nullum intercedit impedimentum. Sed an sit eadem certitudo & euidentiâ de quantitate. Respondeo, loquendo in communi, esse eandem: quia hoc modo quantitas est vnum ex sensibilibus communibus: vnde euidenter percipimus manere aliquid extensum, habens molem, loco impenetrabile, & hoc vocamus quantum, & consequenter habens quantitatem: an vero illa quantitas sit aliqua res distincta à qualitatibus ipsis, & consequenter, an sit quantitas substantiæ, vel accidentium tantum, quæ manet, non potest sensibus percipi, neque in hoc est aliquid de fide certum, sed in opinione Theologorum versatur: est autem, vt in Commentario dixi, probabilius, vnam esse quantitatem substantiæ, & qualitarum omnium in ea existentium, quæ est res ab omnibus illis distincta, quam necesse fuit in hoc sacramento manere: tum, vt omnes qualitates haberent corpoream molem, quæ possent occupare locum, tangi, videri, &c. tum, vt retinerent in se coniunctionem aliquam, naturalemque vnionem. Denique, vt essent loco impenetrabiles: nam hoc, reuera, habent ab huiusmodi, quantitate: nam, si hoc per se haberent, nulla posset naturalis ratio reddi, ob quam duæ albedines in duabus hostiis consecratis existentes essent inter se loco impenetrabiles, & tamen calor, & color, sapor, & odor, in eadem hostia possent in eodem loco penetrari: cum sint tamen corporeæ & extensæ quatuor qualitates, sicut duæ albedines: quæ ratio applicari facile potest ad ostendendum, non habere accidentia quantitatis suam distinctam à quantitate substantiæ: & consequenter illam esse vnum accidens realiter ab omnibus illis distinctum.

Conclusio.

Dico secundo; Non est certum manere post consecrationem alia accidentia panis & vini, præter prædicta per se sensibilia: probabilius tamen videtur, manere omnia, quæ habent entitatem propriam distinctam ab entitate substantiæ. Probatur prior pars: quia Concilia aut Patres non potuerunt habere aliquod certum fundamentum, præsertim Theologicum, ad id definiendum in eo sensu: ergo non sunt in eo sensu intelligendi. Antecedens patet, quia ad occultandum mysterium fidei nihil aliud est necessarium: neque vilo experimento aliud constare potest: neque etiam sunt alia principia, ex quibus colligi possit. Vnde ipsi modo loquendi hoc insinuarunt Concilia: nam hac ratione videntur appellasse hæc accidentia panis & vini, species sacramentales: scilicet, vel quia per species sensibiles percipi possunt, vel quia in externa specie eo modo substantiam referunt, quo sensibus percipi potest. Dices: fides docet in hoc mysterio fieri solam transsubstantiationem, per quam sola substantia definit: ergo ex principio factis certo colligi potest, nullum accidens definire. Respondetur, negando consequentiam: nam, licet ex vi transsubstantiationis per se non definat nisi substantia, quod tamen cum illa concomitanter definat aliquod accidens, non repugnat transsubstantiationem.

Obiectio.

Solutio.

nam, quoad hoc, non videtur maior ratio de termino, à quo, quam de termino ad quem: nam transsubstantiatio, ita est ad substantiam, sicut ex substantia: & tamen huic rationi non repugnat, quod cum illo termino ad quem, concomitanter veniant accidentia: ergo similiter non repugnabit, quod concomitanter recedant, seu esse definant cum termino à quo, saltem aliqua, si in eis est specialis ratio aut difficultas.

Aliter obicit potest, quia sunt in pane & vino quedam proprietates occultæ, quæ, licet non sint per se sensibiles, sunt tamen principia sensibilibus dispositionum, quibus corruptio & generatio fit: ergo necesse est has manere: alioquin non essent æque actiua sensibilibus accidentia, quæ manent: atque ita posset mysterium hoc sensibili experimento aliquo modo cognosci. Respondetur, hanc esse probabilem rationem, quæ iuuat ad posteriorem partem conclusionis probandam: non esse tamen certam: quia certum non est dari huiusmodi proprietates occultas: id enim præter alios Philoſophos negat Claudius de Sainctes, repetitione 6. capite 2. quia temperamentum primarium qualitatum sufficit ad huiusmodi actiones: fortasse tamen probabilis est, huiusmodi proprietates esse admittendas. Vnum enim vehementius calefacit, quam solus formalis calor ipsius vini posse videatur calefacere: eis vero admittendis, necessario fatendum est, manere in hoc sacramento: & prima conclusio intelligenda erit de accidentibus per se sensibilibus formaliter vel emittentibus: nam, quod ad præsens attinet, eadem est vtroque ratio, eademque necessitas, vt ratio facta probat.

Nihilominus posterior pars conclusionis est conformis doctrinæ Conciliorum, Sanctorum, & Theologorum, eamque late probat Ferranensis, contra gentes, cap. 65. Et probatur in hunc modum: quia omnia hæc accidentia, aut sunt quantitas, aut qualitates materiales, aut modi aliqui accidentales, qui cum quantitate, aut qualitate realiter identificantur, vt sunt Vbi quantitatum, figura, relationes aliquæ, & alia huiusmodi: sed ostensum est, quantitatem manere, & de quibusdam qualitatibus id est certum, vt dixi: est autem fere eadem ratio de omnibus: tum quia omnes inherent proxime quantitati: vnde illa conseruata, conseruant eandem inherentiam, quæ possunt in esse conseruari: tum etiam quia ostensum est, manere omnes qualitates formaliter per se sensibiles, & omnes etiam proprietates occultas, quæ possunt esse principia similibus qualitatum: at vero præter has qualitates, nullæ aliæ videntur posse excogitari in pane aut vino. Denique, quamuis aliæ esse fingantur, non erit difficultas, illas conseruari, quam cæteras: neque erit vlla specialis ratio, cur potius destruantur. Dices fortasse esse proprias quasdam passionibus magis intime pendentes à substantia. Sed hoc gratis dictum est: quia tam intrinseca proprietates materiæ, seu corporis est quantitas, quam esse potest vlla qualitas, respectu panis & vini: & similiter conaturalibus & intrinsecis proprietates habent eandem naturalem vnionem & dimanationem, quam possunt alie qualitates habere: ergo eadem est omnium ratio. Tandem relationes, aut alij modi accidentales cum fundentur in quantitate, vel qualitate, eisque solis proxime adhareant, non solum manere possunt, sed etiam necessario manent, manentibus quantitate & qualitate, nisi speciali actione corrumpantur: quod est extrinsecum, & per accidens ad transsubstantiationem, quam solam hic consideramus. Loquimur autem de modis accidentalibus propriis, qui ad aliquid ex Prædicamentis pertinent: nam loquendo de modo inherentiæ, hic manere non potest, vt infra dicam, saltem in quantitate, quia essentialiter est modus vnionis: de cuius intrinseca ratione est, vt pendet.

pendeat à termino talis vniōnis, qui in presenti est substantia: & ideo, illa ablata, nō potest manere quātitatis inherētia.

Dico tertio: Si qui sunt in substantia modi accidentales, qui non sunt re omnino ab illa diuerſi, sed tantum modi ex natura rei distincti, hi non manent post consecrationem in hoc sacramento, huiusmodi esse possunt modus presentia: modus vniōnis materiae ad quantitatem, & aliaque relationes: de quibus omnibus ita sentit Scot. Duran. Gabr. & alii, dicitur distincti. 12. nam licet diuersis vtantur vocibus, scilicet, relationum transcendentalium, aut pradicamentarium, aut respectuum extrinsecos aduentium, vel modorum: illis tamen omnibus eandem rem significant: ratio autem omnium esse debet, quia huiusmodi accidentia conseruari non possunt, deſtructa substantia. Sed in huius rei reddenda ratione laborant praedicti auctores: quia etiam de his accidentibus dici potest, essentialiter non esse actum in esse, sed aptitudine, & consequenter posse conseruari sine subiecto. Dico tamen non esse eandem rationem de his, & de reliquis. Nam caetera accidentia, aut ex propria ratione sua secum afferunt propriam entitatem, & realitatem, in qua possunt conseruari: vt sunt quantitas & qualitas: aut sunt modi huius entitatis, quae est quantitas vel qualitas, in qua si fuerit conseruari possunt: hi autem modi, de quibus agimus, ex proprio conceptu non afferunt propriam entitatem: & ideo essentialiter requirunt entitatem, quam immediate efficiant, vt conseruari possint: illa autē entitas est substantia, quae cum includat in sua essentiali ratione, quod sit substantia, nullo modo conseruari potest, ratione substantiae destructa. Est enim hoc metaphysicum principium obseruandum: In omnibus, quae variis modis affici potest ex natura rei ab illa distinctis, dari vnā rationem essentialē, & inuariabilem, sine qua talis res conseruari nō potest, quamuis in caeteris rationibus, & modis possit esse varias. Ex quo fit, vt res illa manere possit in rerum natura cum sua ratione formali essentiali sine aliis rationibus modificantibus ipsam, non possit autem manere sub ratione alicuius modi, sine primaria ratione essentiali tali entitati: & consequenter fit, vt nec modus possit manere sine tali re, quā modificat: quia cū per se non constituat propriam entitatem, essentialiter pendet ab entitate sui subiecti, & cum sit tantum modus, non inheret per alium modum, sed per se ipsum vniter: vnde fit, vt in suo conceptu includat actiualem vniōnem, & non tantum aptitudinalem.

SECTIO II.

Quenam mutatio fiat in quantitate, vt possit sine subiecto conseruari.

AD explicandum modum, quo sacramentales species sine substantia existunt, à quantitate incipimus, quae est caeterorum fundamentum: nam de illa certius est, sine subiecto manere: quia in nulla substantia esse potest, vt in art. 1. D. Thomae satis probatum est, neque est aliud accidens quantitate prius, in quo ipsa subiectari possit, vt per se constat ex Philosophia: nec denique inter substantiam & accidens aliquod medium excogitari potest, quod sit quantitas subiectum. Quocirca, cum de fide sit, accidentia in hoc sacramento manere sine subiecto, vt vniter Ecclesia sentit, & Concilia citata definiunt, quod saltem de tota collectione accidentium verum esse, necesse est, vt supra diximus: maxime verificandum est de illo accidente, quod est primum, & reliquorum fundamentum, quod est quantitas. Cum ergo certum sit, quantitatem sine subiecto manere in eadem entitate numero quoad essentialitatem, & existentiam, vt dictum est supra, explicandum superest, quae mutatio in ea sit necessaria, vt ita conseruetur: id est, qua-

re primetur, aut quid ei addatur, aut in fieri, quoad actionem, & dependentiam, per quam sic constituitur, & conseruetur, aut in facto esse, quoad modum per se existendi.

Prima ententia esse potest, nullam prorsus in eamuraturā intrinsecam fieri, neque priuatiuam, neque positiuam, neque in fieri, neque in facto esse: sed solum deſtrui subiectum, & inde quasi per extrinsecam denominationem dici manere per se sine subiecto: qui modus dicendi plures partes includit, quas omnes simul non inuenio apud aliquem auctorem, & ideo oportet sigillatim de eis dicere. Primo itaque negat haec opinio, priuari quantitatem aliquo reali modo, quem in subiecto suo habet: quia in subiecto nihil habet, nisi entitatem suam: id est, essentialitatem, quā Deus conseruat, non conseruando subiectum, sicut posset conseruare tectum domus immutatam, deſtruendo fundamenta, & parietes: & tunc nihil positiuum auferret à tecto, sed solum per destructionem aliorum diceretur conseruare tectum, quasi per se sine fundamentis, quibus nitatur. Dices, priuari quantitatem inherētia: Sed contra: nam etiā in praedicto exemplo posset dici tectum priuari contractu, & sustentatione: sicut autē: his verbis non significatur aliqua res intrinseca, quae tectum priuatur, sed denominatio, & ad summum, quaedam extrinseca causalitas: ut per illud verbum (inherētia) nulla res denotatur intrinseca quantitati, sed cum existentia eius connotatur subiectum, illam sustentans & conseruans: dicitur ergo auferri inherētia, ablato subiecto, non quia à quantitate tollatur aliquid praeter subiectum, sed quia illa denominatio, seu connotatio tollitur: id est, quia illa existentia iam non conseruatur ab eodem subiecto, in quo prius nitabatur.

Secundo negat haec opinio addi quantitati à subiecto separatae modum aliquem positiuum, quo per se existat, sed à sola negatione subiecti sic denominari. Hoc opinatur Scot. d. 12. qu. 3. & 6. inclinante Richard. art. 1. q. 1. Palud. q. 1. & tertio. Marfil. qu. 9. ar. 4. ad 4. indicat etiam Soto, d. 10. q. 2. art. 2. impugnat enim Caiet. contrarium sententiam. Et D. Tho. hic, cū solum dicat accidentia conseruari sine subiecto, diuina virtute sustentante: nullum alium positiuum modum ponere videtur. Et probatur, quia hic modus positiuus, nec facile intelligi potest, neque est necessarius: nam ex praefato conceptu negationis subiecti, & inherētia facis denominatur accidens esse per se: non est ergo superflue multiplicandus hic modus: sicut anima rationalis, cū separatur à corpore per solam negationem vniōnis, seu informationis, dicitur per se esse, seu separata: nam, licet aliqui sentiant illi addi positiuum modum subsistendi, tamen Scotus illum negat, & saltem probabilius est illum non accipere ratione separationis, sed eundem habere etiam in corpore: quia natura sua est res subsistens: ac denique, licet antea illo modo careret, & postea ex separatione resultaret, illud esset ex speciali ratione: quia anima natura sua conseruatur separata: & ideo positiuē subsistit, & quasi se ipsam sustinet: quantitas autem non est nata ex se sic existere, sed tantum virtute agentis extrinseci separata durat: & ideo nullum intrinsecum modum requirit, sed solum extrinsecum influxum causae agentis. Possamus autem in fauorem huius sententiae argumentari: nam hic positiuus modus in quantitate videtur impossibilis: quia, si talis modus adderetur quantitati, necessario futurus esset accidentalis: sed huiusmodi esse non potest: ergo. Maior patet, tum ex principio fidei: quia in accidentibus Eucharistiae nihil substantiale manet, nec denuo ponitur praeter Christum: tum etiam, quia cum quantitas sit accidens, non est capax modi substantialis: neque è contrario substantialis modus separabilis est à substantia, quam adaequate respicit, non vt res distincta, sed vt modus tantum, vt à fortiori patet ex dictis in fine sectionis

LII 4 praece.

Opinio circa illam.

Scotus.
Richard.
Palud.
Marfil.
Soto.

præcedentis. Minor autem patet, quia nullum potest esse accidens, cui ex natura sua repugnet in esse subiecto. Est enim hoc contra essentiam accidentis: huic autem modo intrinsece repugnat inherere: quia, cum sit modus per se existendi, habet quasi formalem effectum directum & immediate actualem inherentiæ contrarium: sicut è cõuerso actuali inherentiæ repugnat ut per se fit.

Tertio negat hæc opinio mutari in quantitate actionem seu dependentiam, per quam in esse conseruabatur, quod duobus modis defendi potest: primo coniungendo hæc partem simul cum præcedentibus, ut, si concludatur, nullam in quantitate fieri mutationem: & in hoc sensu fundari debet, quia Deus eadem omnino actione, qua conseruat quantitatem in subiecto, potest illam conseruare sine subiecto, solum continuando eandem actionem seu influxum, ergo nihil aliud est necessarium. Antecedens declaratur, altero è duobus modis: prior est, quia quantitas, præsertim si est in materia prima, non conseruatur ab illa effectiue, sed tantum materialiter: ergo solum diuinus influxus sufficiens est in genere causæ efficientis ad conseruandum quantitatem. Suppono enim, nullam aliam causam secundam efficientem per se interuenire in hac actione: ergo, si Deus illummet influxum conseruat, sufficit ad quantitatem sine subiecto conseruandam, miraculum solum in hoc consistet, quod ille fluxus non est quantitati debitus, nisi in subiecto: Deus autem vult illum, etiam extra subiectum dare, & iuxta hunc modum nulla mutatio actionis, seu dependentiæ huic interuenit, nec positua nec negatiua. Alio modo declaratur ab aliquibus, illud antecedens: Nam in omni re creata est intrinseca & essentialis dependentia à Deo, per quam solum potest sufficere è nihilo educi, quia est vera creatio, & per eandem solum potest similiter in esse conseruari: quantitas ergo cum sit forma creata, habet hanc dependentiam essentialem à Deo, etiam cum inheret subiecto, quamuis præter eam habeat aliam dependentiam non essentialem, per quam educitur de potentia subiecti, seu conseruatur dependenter ab illo: ergo cum separatur à subiecto, sufficere conseruari potest per priorem dependentiam essentialem, absque vlla noua actione: Vnde iuxta hunc modum hic quidem non interuenit positua mutatio, sed additio noui influxus, sed intercedit priuatiua mutatio, seu ablatio illius actionis, qua conseruabatur quantitas dependenter à materia, quasi per continuationem educationem ex illa, repugnat enim esse actionem educationem, ubi non est subiectum. Vnde tandem fit (quod mirabile est) minori influxu, seu paucioribus actionibus conseruari quantitatem sine subiecto, quam in illo.

Aliter vero principalis modus negandi specialem actionem nouam, qua conseruetur quantitas separata, insinuat à Caiet. hic: supponit tamen principium contrarium, quo ad secundam partem supra tractatam, scilicet quantitati separatæ addi posituum modum, quo per se existat, quo addito, dici naturali modo posse quantitatem conseruari, sicut antea conseruabatur in subiecto per idem genus actionis, & dependentiæ, quia modus ille supplet vicem subiecti, & dat quandam substantialem vim quantitati: & ideo quauis supernaturaliter accipiat illum existendi modum, tam è illo supposito (ait Caiet.) naturaliter conseruatur.

Dico primo, quantitatem separatam priuari posituum, reali & intrinseco modo, quæ in subiecto habebat, qui appellatur actualis inherentiæ, seu modus vnionis. In hac conclusione videntur consentire auctores citati in secunda parte præcedentis opinionis & alii statim citandi, quia hæc inherentiæ, vel vnio non est in quantitate sola denominatione à subiecto, sed internus modus eius, quod sic patet, quia in omni composito ex partibus seu actu & potètia, realiter

distinctis, præter entitates partium seu componentium, vnio est aliquid reale distinctum ab illis, & in vtroque, vel altero eorum intrinsece existens: ergo idem dicendum est in hoc composito ex materia & quantitate: ergo talis modus vnionis, ut minimum, esse debet intrinsecus quantitati, siue alius correspondeat in materia, siue non: ergo necesse est, quantitatè, cum separatur à subiecto, priuari hoc intrinseco modo. Primum antecedens cum prima consequentia probatur, quia est omnium eadem ratio, positum enim rerum natura, materia & anima, Verbo & humanitate, quantitate & substantia non resultat compositum nisi aliquid aliud addatur, nimirum quod illa sint vnita: ergo hoc addit aliud præter vnibilia, quod non potest esse, nisi in illis, vel aliquo illorum. Nec potest dici, solum addi intimam præsentiam & indistantiam eorum inter se, nam existente huiusmodi præsentia potest non esse vnio, ut euidenter patet in Verbo & humanitate, & in Angelo intime existente in corpore, & eodem modo posset Deus ponere animam intime præsentem corpori & non informantem illud: & hoc discursu in materia de Incarnatione probatum est, vnionem hypostaticam esse aliquid ex natura rei distinctum à Verbo, & humanitate, & necessario esse in humanitate, cum non possit esse in Verbo.

Iam ergo probatur secunda consequentia: quia, si modus vnionis inter materiam & quantitatem non est in materia prima, seu substantia, necesse est, ut sit in quantitate: suppono enim hanc vnionem non posse esse aliquam rem, seu formam habentem propriam entitatem omnino realiter distinctam ab vtroque componente: seu vnibili, sed tantum posse modum quendam illorum, vel alterius eorum, tum, quia est superuacaneum addere nouam entitatem, cum modus hic sufficiat ad discursum factum, tum etiam, quia ad vniendam illam formam requireretur alia vnio, cum enim esset entitas distincta, esset separabilis ab vtroque extremorum, tum denique quia alias non immediate vnirentur talia vnibilia inter se, sed in illo tertio quod in præsentia dici non potest, quia quantitas & substantia immediate vniuntur, sicut actus & potentia: de qua re legi possunt, quæ de vnione humanitatis ad Verbum diximus in primo tomo: nam, quoad hoc, habent præsentem proportionem. Si vero quis contendat, vnionem hanc esse intrinsecum modum in subiecto ipso seu materia: esto, hoc ita fit, non propterea negari potest consequenter, etiam ex parte quantitatis esse modum ipsi intrinsecum, tum, quia non repugnat, vniones quasi parciales esse in vtroque componente, quando vtrumque mutabile est: hæc enim sola ratio in Verbo diuino negatur parialis vnio: quia immutabile est, & noui modi incapax: hæc autem vtrumque componentium est mutabile, neque est maior ratio, cur in materia hic modus sit intrinsecus, quam in quantitate, tum etiam, quia quantitas magis pendet à substantia, quam è conuerso: ergo hæc vnio, quæ est cum dependentia, & ideo inherentiæ dicitur, magis esse debet in forma, quæ pendet, quam in subiecto, à quo pendet. Denique, quia vnio formæ ad subiectum fit per actionem magis intrinsecam ipsi formæ, quam subiecto: hic autem quantitas est forma accidentalis substantiæ: est ergo illi intrinsecus modus vnionis, seu inherentiæ ad substantiam.

Atque hinc euidenter relinquuntur vltima illatio: quia implicat contradictionem, destructo altero, vnibilibus manere vnionem: destructo ergo substantia non manet in quantitate vnio, quam cum illa habebat: quid autem hic modus sit, non spectat ad hunc locum explicare, nam commune est omnibus accidentibus, imo & omnibus vnionibus, & ideo, ut supra dixi, quæ de vnione ad Verbum tractaui, applicari possunt ad reliquas, proportionem seruata: ostendi autem, hunc modum non esse relationem secundum esse, sed modum

Quantitas à subiecto separata priuatiua modo posituum reali & intrinseco.

dum absolutum; quamuis per modum relationis explicari soleat, propter dependentiam, quam habet non solum à subiecto, sed etiam ab altero extremo, cum quo fit vnio, propter quod fortasse ab Scoto vocatur relatio extrinsecus adueniens. Qui tamen sine causa dicit, hanc inhaerentiam quantitatis pertinere ad prædicamentum passionis: passio enim consistit in veri, seu in actuali mutatione subiecti; hæc autem inhaerentia habet esse permanentem & in facto esse, & ad illud potius terminatur actio, seu passio vnitiua, quamuis in accidentibus, quæ connaturali modo fiunt, hæc actio non sit distincta ab illa, quæ fit ipsamet entitas formæ, quæ vnitur, hic ergo inhaerentiæ modus, prout est in quantitate, ad prædicamentum quantitatis reuocatur, quia spectat ad formalem causalitatem: & idem est, proportione seruata, in ceteris accidentibus: in communi vero ad nullum prædicamentum spectat, sed est veluti transcendens, quod pluribus prædicamentis commune est. Ad fundamentum autem contrariæ partis præcedentis opinionis iam responsum est: falsum esse, quod sine probatione assumit. exemplum autem illud de parietibus, & recto non est simile: tum, quia ibi non est formalis & intrinseca vnio, sed localis tantum propinquitas, & contactus: tum etiam, quia ibi non est propria causalitas intrinseca, sed solum resistentia quædam, qua vnus impedit aliud ne à suo loco illud depellat: quod si est aliqua causalitas effectiua, tantum erit respectu illius Vbi, in quo rectum detinetur, & hanc necesse est mutari, mutato sustentante, & per alterius efficientiam suppleri.

Dico secundo: Probabile est, quantitatem, quæ separata conseruatur, potius mutari recipièdo modum per se essendi, actuali inhaerentiæ repugnantem. Hanc conclusionem dico tantum esse probabilem, quia demonstrari non potest: & opinio Scoti non difficile potest defendi: hæc tamen mihi magis probatur: quia videtur esse opinio D. Thomæ, artic. 1. ad 4. dicit enim, in quantitate separata esse nouam compositionem ex esse, & quod est, vbi non loquitur de compositione de esse & essentia, quia hæc etiam erat in quantitate inhaerente: item quia indicat, hanc compositionem aduenire ipsi existentie; non potest autem intelligi compositio, nisi addatur aliquid, quod cum præexistente compositionem faciat. Vnde articulo 2. ad primum, dicit, diuinitus, dari accidentibus, vt per se sint, & in 4. d. 12. quæst. 1. artic. 1. quæst. 3. dicit dari quantitatem, vt per se subsistat, & ita explicante & defendunt Caietan. hic, Ferrar. 4. contra gent. capite 66. Richard. artic. 14. pag. 295. Rationes, quas Caietanus adducit, sunt ad explicandam necessitatem: & vtilitatem huius positiui modi ex effectibus eius: & omnes huc tendunt, quod posito hoc modo, quantitas naturaliter conseruabitur separata; sine hoc autem modo erit violenter. Rursus, posito hoc modo, absque nouo miraculo poterit sustentare reliqua accidentia, & noua recipere, & vicem materiæ subire, vt pati possit & transmutari, præsertim in raritate & densitate, quæ intrinsecam habitudinem dicunt ad materiam. Denique, posito hoc modo, potest quantitas esse principium non tantum vt quod, sed vt quod: quia iam non tantum erit quod aliquid est, sed etiam id, quod est: secluso autem hoc modo non possent hæc fieri sine multis miraculis. Deinde adhibet Caietanus varia exempla, quibus hoc explicet & suadeat, quæ vel magis obscura, vel minus certa sunt, quam id, de quo agimus; & ideo illa omitto.

Vt autem huius conclusionis sensus, & vis rationis intelligatur, aduertendum est, duobus modis posse intelligi ad id aliquid quantitatem separata, vt per se fit: primo, vt id, quod additur, sit res aliqua ex se habens propriam entitatem realiter à quantitate distinctam: secundo, vt solū sit quidam modus ex natura rei, seu formaliter distinctus à quantitate: nõ ta-

men addens propriam entitatem omnino realiter distinctam: prior sensus tribuitur Henric. quodl. 4. q. 7. 16. & 36. & quodl. 8. quæstione 37. sed reuera, id non docet. Caietanus vero, quamuis non distincte explicet suam sententiam, tamen indicat illam, tum in discursu & rationibus suis: dicit enim, hanc entitatem supplere vicem materiæ, & esse quasi instrumentum eius, sicut semen, aut calor est instrumentum substantiæ, licet in alio genere: tum etiam, quia supra dixit, substantiam naturæ substantialis esse entitatem omnino realiter distinctam ab illa: videtur autem hic cum eadem proportione loqui. Ego vero non loquor in hoc sensu in conclusione posita; nec mihi videtur verisimilis: quia nulla est necessitas talis entitatis: omnia enim, quæ Caietanus accumulatis in quocunque sensu non admodum vrgent; in hoc vero nihil omnino suadent: nam quantitas proprie non est principium agendi, nisi quatenus sustentat qualitates, quæ sunt principia agendi: non ergo magis indiget hac entitate ad hoc munus agendi quam ad illud sustentandi: ad sustentandum autem solum necesse est, vt ipsa quantitas in sua entitate & existentia conseruetur: nam, quacunque ratione id fiat, naturaliter, & sine nouo miraculo sequitur, vt sustentet reliqua accidentia: quia quantitas per suam entitatem recipit, & in se habet inhaerentia: reliqua accidentia: ergo hoc ipso, quod entitas quantitatis conseruatur, conseruabit in se reliqua accidentia sibi inhaerentia, quod est sustentare illa, & per eandem entitatem suam similiter conseruatam poterit alterari, seu transmutari secundum hæc accidentia: quia idem potest esse principium recipiendi in fieri, quod est principium retinendi, seu sustentandi formam in facto esse, ad quam terminatur illud fieri: omnes autem transmutationes, quæ in quantitate separata fiunt, terminantur ad qualitates, quæ in illa recipiuntur: nam ad formam substantialem ipsa proprie non transmutatur, vt inferius dicam.

Igitur ad hæc omnia non magis indiget quantitas illa entitate, quam ad existendum separata: ergo ex illis omnibus non potest probari necessitas talis entitatis; neque etiam probatur ex sola conseruatione quantitatis separatae in existentia sua; nam sine tali entitate facile concipitur quantitas existens per influxum Dei sine subiecto; Imo non facile intelligitur, quomodo entitas illa deseruire possit ad sustentandam quantitatem: inquiri enim, an illa sit substantia, vel accidens. Primum dici non potest secundum fidem: quia in speciebus consecratis nulla est substantia præter Christum: hæc autem entitas, cum per se dicatur afferre propriam realitatem distinctam à cæteris, si substantialis est, erit vera substantia, & cum materialis sit, erit, aut materia, aut forma, aut compositum; si autem dicatur esse accidens, erit vera ac propria accidentalis forma, cum dicatur habere propriam entitatem: potius ergo indigebit ipsa alio sustentante, quam sustentare possit quantitatem; redibitque de illa quæstio, quomodo per se fit, atque ita poterit in infinitum procedi: item orietur quæstio, in quo genere causæ sustentet illa entitas quantitatem, nam, si id faciat in ratione subiecti, seu materialis causæ, erit quantitas inhaerens, & non per se: si in ratione efficiētis, est impertinens, nam ad hoc sufficit virtus diuina, vt principalis, & virtus verborum, seu Corporis Christi, vt instrumentalis: si vero solum est in ratione termini, impertinens etiam est res sic distincta, sed sufficit intrinsecus modus, sicut alias dictum est de substantia substantiali.

Tandem illa entitas, cum materialis sit, debet esse extensa, & corpoream molem habere; ergo necesse est, vt per quantitatem illam habeat: ergo oportet, vt, vel quantitas illi inhaereat, quod omnino falsum est: vel illa inhaereat quantitati, quod huic

huic positioni repugnat, cum dicatur ipsa sustentare quantitatem. Conclusio ergo posita à nobis est in posteriori sensu; & quamuis etiã in illo non facis probetur illis coniecturis Caietani, vt ostendi potest applicando discursum factum, est tamen per se facilis, & valde credibilis: primo ex proportione ad substantiam substantia: est enim illa realis modus positius, quo natura substantialis terminatur, vt per se fit: cum ergo hic quantitas separetur, vt per se fit, verisimile est, illi dari realem modum proportionatũ; nam, per se esse, non dicit tantum priuationem: alias vix posset probari, substantiam esse plus, quam priuationem. Secundo, quia huiusmodi non distincti realiter à rebus, sed tantum ex natura rei, facile in eis resultant, quando priuatur aliis contrariis modis: imo saepe experimur, non auferri vnum ex his modis, praeterim connaturalem, nisi addito alio opposito; nec facile intelligimus posse aliter fieri: sic enim auferitur ab humanitate Christi modus substantia, posito in illa modo vnionis ad Verbum: & à quantitate Corporis Christi auferitur modus extensionis in ordine ad locum, posito modo indiuisibiliter existendi in loco: sicut etiã in naturalibus non auferitur à corpore quanto vnum vbi, nisi detur aliud: neque à corpore sedente, vel stante auferitur talis situs, nisi detur alius: & è linea recta non auferitur rectitudo, nisi detur obliquitas, vel similis modus: sic ergo, cum à quantitate auferatur inhaerentia, quæ est modus positius connaturalis illi, verisimile est, dari illi in alium modum immediate oppositum, quo per se fit.

Tertio, hoc maxime declaratur in his modis, qui sunt veluti vltimi termini illius rei, quam afficiunt: nam ablato vno, statim resultat alius, ne res sine termino maneat: sic diuisa linea, & ablato puncto continuante, resultant alij terminales; & hac ratione non potest quantitas priuari vna figura, quin aliam recipiat: quia figura est, quasi terminus quantitatis: sic etiã substantia est terminus existentia substantialis & ideo non auferitur, nisi addito alio termino, media vnione; è contrario vero inhaerentia suo modo est connaturalis terminus existentia accidentalis: & ideo non auferitur, nisi addito alio termino opposito, quæ vocamus modum per se essendi. Tandem, quicquid fit, an hoc sit simpliciter necessarium in ordine ad potentiam Dei absolutam, negari non potest, quin sit possibilis, quæ est enim repugnantia. Nam quæ supra insinua batur in fauorem Scoti, scilicet, quod repugnet, modum accidentalem carere naturali ordine ad subiectum, reuera nulla est, tum quia statim ostendemus necessario esse concedendum in quantitate separata alium modum habentem huiusmodi naturam: tum etiã, quia, licet hic modus non possit esse connaturalis formæ accidentali, supernaturaliter tamen potest ei aduenire: quia Deus potest facere, vt accidens aliquo modo participet modum existendi substantia per quædam modum, qui formaliter, (vt sic dicam) similitudinem habeat cum substantiali modo: materialiter autem & entitatiue sit accidentalis, ad quod satis est, quod afficiat & terminet entitatem accidentalem, quamuis aliud subiectum non respiciat. Quod si hic modus est possibilis, negari non potest, quin perfectiori ratione separetur quantitas affecta illo modo, quam per solam negationem inhaerentia, quia ille modus aliquid perfectionis affert, imo maioris perfectionis videtur, quam inhaerentia propter maiorem cum substantia similitudinem. Atque hoc sensu fient probabiles coniecturæ Caietani; praeterim illa, quod quantitas sic terminata, minus violenter erit, magisque connaturali modo, meliusque disposita ad actiones & passiones, nec solum erit actu non inhaerens subiecto, sed etiã erit incapax inhaerentia ex vi talis modi existendi, quem habet, in quo intelligitur differre ab anima separata, nam hæc licet careat actuali informatione, non tamen habet

positium modum repugnantem informationi: unde quoad id completa manet; & quasi interminata, & violenter: quantitas vera separata recipit modum incompossibilem inhaerentia, vt secundum eum statum terminata maneat, & in statu, quasi connaturali supposito miraculo. Denique hic modus necessarius est, vt possit quantitas per positium actionem, separetur à substantia, quod supra diximus conuenientius dici, ad vitandam in hoc mysterio substantia annihilationem, meliusque ratione conuersionis, & transubstantiationis explicandam. Argumenta vero facta in fauorem opinionis Scoti in his, quæ diximus, soluta sunt.

Dico tertio: Cum quantitas à substantia separetur, necesse est actionem mutari, qua conseruatur à Deo, ita vt cesset actio, qua prius in substantia conseruabatur, & per nouam aliam in se conseruetur. Ad hanc conclusionem probandam suppono primo quantitatem, & omnem formam, quæ in subiecto, & dependenter à subiecto à Deo conseruatur, vnica tantum actione conseruari; vanum est enim plures actiones conseruatiuas totales fingere, cum vna sufficiat. Inauditum etiã est, formam, quæ educitur de potentia subiecti, simul per aliam actionem vere ac proprie creati: hoc enim modo fieri ex natura sua proprium est animæ rationalis: alioqui, sicut hæc conseruatur separata, ita alia naturaliter conseruaretur, quia, licet cessaret actio conseruatiua ex subiecto, non tamen conseruatiua per modum creationis, quæ per se sufficere dicitur, & non est cur pèdeat ab alia actione, cum tantum concomitanter se habeant. Quod autem dicebatur de dependetia essentiali, intellectum de vnica & determinata dependetia actuali per modum creationis, falsum omnino est, vt supra etiã attigi tractando de sacramentis in genere. Secundo suppono, actionem qua conseruatur quantitas dependenter à subiecto, vel extra subiectum, tantum inter se differre, quantum differunt generatio seueductio formæ de potentia materia, & creatio eius: ita enim inter se comparantur actiones conseruatiua, sicut productiua inter se; nam conseruatio per se & in eodem ordine, nihil aliud est, quam actio productiua durans: sed productio quantitatis extra subiectum esset creatio, quia esset productio ex nihilo: productio vero quantitatis in & ex subiecto, non est creatio, sedeductio talis formæ de potentia subiecti, alterationi seu potius augmentationi similis. sunt ergo illæ actiones inter se omnino diuersæ: ergo eadem diuersitas est inter actionem, qua quantitas conseruatur separata, vel dependenter à subiecto: nã illa est ad modum creationis, hæc ad modum educationis, cum quantitas ex natura sua à materia pendeat. Ex his ergo manifeste concluditur assertio posita, nam, ablata materia, necesse est, tolli actionem, qua in ea quantitas conseruabatur: tum, quia per illam solum conseruabatur quantitas dependenter à materia: tum etiã, quia illam actio essentialiter pendebat à concursu materia, in hoc enim differre ab actione creatiua: nec ad hanc actionem potest quæquam conferre modus per se essendi datus quantitati: tum, quia ille nullo modo habet vicem causæ materialis, respectu talis actionis: tum etiã, quia ille modus ordine nature supponit existentiam quantitatis, vt possit illam terminare, & consequenter, etiam supponit actionem, per quam conseruatur: non est ergo illa actio eadem, quæ antea erat cum concursu materia: oportet ergo, vt sit alia per modum creationis, quæ, nec sit ex subiecto, nec sit quantitati connaturalis. Atque ita facile intelligitur, quomodo Deus suppleat causalitatem subiecti per nouam actionem altioris ordinis: intelligitur, etiam hanc actionem esse aliquid ex natura rei distinctum à quantitate ipsa, cum possit illi aduenire, & ab illa separari: est ergo modus eius, de quo negari non potest, quin nullam dicat habitudinem ad subiectum, sed solum ad

ad terminum, qui est quantitas ipsa : quia actio creatura intrinsece & essentialiter postulat independen-
tiam à materiali causa.

SECTIO III.

Virum alia accidentia panis & vini, quæ cum quantitate manent post consecrationem, mutant existendi modum.

Qvæstio intelligitur de qualitatibus, quæ proprias quantitates habent. Nam de relationibus & alijs modis nulla est difficultas, quin in suis fundamentis manent. De qualitatibus ergo Nominales consequenter dicunt, omnes mutare existendi modum, & manere per se separatas : quia negant esse vnam aliquam quantitatem substantiæ, quæ maneat, in qua reliqua accidentia possint inherere, & non est vlla ratio, ob quam vna qualitas magis in alia sit, quam è contrario. Ita Ocham tract. de Euchar. c. 28. & in 4. q. 7. Aliaco q. 5. Maior, d. 12. q. 2. Gab. lect. 4. 4. in Canon. At vero Marfil. in 4. q. 9. artic. 2. admittens, propriam quantitatem à substantia distinctam, negat, qualitates manentes in ea inherere; fortasse, quia existimavit, cum hæ omnes sunt in subiecto, neutram alteri inherere : quia nihil potest subsistere, nisi quod subsistit, vt Arist. indicat 4. metaph. text. 1. 4. & patet, quia nullum asserri potest signum huius inhaerentis : nam, sicut quantitas est alba, ita albedo est quæta : ergo vel mutuo sibi inhaerent, quod est impossibile, vel neutra alteri, cum sit æqua ratio : solum ergo, quia in eodem subiecto vniuntur, mutuo se denominant. Atq; hinc necessario sequitur qualitates omnes mutare existendi modum : quia amittunt inhaerentiam, quæ in substantia habebant. Vnde concludit Marfil. acquirere modum per se essendi. Possent autem alius fingere, quod, licet ex natura rei non inhaereant quantitati, postea vero diuinitus sit, vt inhaerent : ita vt nõ mutant inhaerentiam in per se existentiam, sed vnam inhaerentiam in aliam, vt manent magis vnica & colligata quantitati, & vt hæc subbeat vicem materiæ, possitq; alterationibus subesse.

Dico primo, qualitates panis & vini post consecrationem inherere quantitati. Ita D. Thom. hic & in 4. d. 12. vbi Bonauent. art. 1. q. 3. art. 2. q. 3. Richard. art. 1. q. 2. Scotus, q. 2. & 5. Durand. q. 1. Paludan. qu. 3. Capr. Soto, & alij moderni. Alenf. 4. par. qu. 40. memb. 1. & 2. Henric. quodlib. 8. quæst. 17. Egid. Theorem. 45. Ferrar. 4. contra gentes, capit. 65. Probatum primo, quia necesse est, sacramentales species manere inter se vnitas : alias solum haberent inter se incimam præsentiam, & quasi penetrationem : vnde ex natura rei non moueretur vel traheretur calor, verbi gratia, mota albedine, aut è contrario : quia non habent inter se colligationem; sed qualitates non vniuntur inter se immediate, quia nec possunt vniri per modum actus & potentie propter rationem Nominalium : quia non est maior ratio de vna, quam de alia; & quia neutra, respectu alterius habet rationem subiecti, aut formæ, neque inter eas fingi potest aliud genus immediatæ vnionis, vt ex his, quæ dicemus è fortiori constabit : ergo oportet, vt in aliquo tertio vniantur : ergo in quantitate : quia nullum potest cogitari aliquid aptius, magisq; proportionatum : nam non potest esse substantia, vt ex principiis fidei constat : nec qualitas, cum sit eadem omnium ratio : ergo quantitas : nam de cæteris prædicamentis nulla potest esse suspicio : ergo vniuntur in illa tanquam formæ in subiecto, quia scilicet, omnes inhaerent illi : probatur hæc vltima consequentia : quia, si omnes qualitates in quantitate vniuntur, necesse est, vt singulæ qualitates immediate vniantur cum quantitate ipsa : non potest autem inter eas aliud genus vnionis excogitari, nisi formæ & subiecti : nam effectiua

vnio nulla est, nisi miraculose sine fundamento fingatur : neque etiam alia vnio formalis, quia nullum aliud compositionis genus inter se habere possunt, vt facile etiam patebit, accommodando hic discursum supra factum de vnione inter corpus Christi & species. Secundo probatur, quia necesse est, qualitates esse in aliquo subiecto : alias non possent species consecratæ naturaliter alterari, nec calor & frigus inter se pugnarent, nec quantacumq; vnus intentio, alterius remissionem causaret, quia formaliter solum inter se pugnant in ordine ad idem subiectum, sed non possunt esse in alio, nisi in quantitate : ergo.

Dices eodem argumento probaretur quæritatem esse in subiecto, quia alias non posset naturaliter rareferi, aut condenfari, quod consequenter concedit Scotus, distin. 12. quæst. 4. quia putat per rarefactionem acquiri nouam quantitatem : Caieran. vero hæc admittens idem fundamentum conatur nihilominus defendere, quantitatem separatam posse naturaliter rareferi; sed mihi non sunt intelligibilia, quæ dicit : negatur ergo consequentia ex D. Thom. hic artic. 2. ad tertium, sed potius sequitur, raritatem & densitatem esse in quantitate, vt in subiecto : nam quantitatem rareferi, non est acquirere quantitatem, sed modum quendam, qui est qualitas, seu dispositio illius, vt ex Philosophia suppono.

Tertio argmentor, retorquendo rationem factam pro Marfilio; quia experimur, albedinem existentem in speciebus consecratis, esse ita extensam in loco, vt penetrari non possit ab alio corpore : ergo hoc habet ratione quantitatis : ergo, vel quia quantitas est in ipsa, vt in subiecto, quod nullus dicet, quia quantitas est propinquior materiæ, magisq; participat rationem potentie receptiue, quam qualitas, quæ formam consequitur; vel quia ipsa est in quæritate, vt in subiecto, quod intendimus, quia non potest excogitari alius modus, quod id fiat, quia sola concomitantia in præsentia locali, non sufficeret ad illum effectum, nam posset pelli quantitas, & penetrari qualitas, si tantum concomitanter ibi essent : imo nec qualitas posset habere extensionem in ordine ad locum, nisi quia inhaeret subiecto habenti talem extensionem; simileq; argumentum sumitur eo, quod superficies, est & videtur alba : nisi enim afficeretur albedine, non posset in ea talis effectus esse, aut apparere, quia sola concomitantia non sufficit, alioqui etiam alia qualitates inter se afficerentur aliquo modo propter solam concomitantiam.

Dico secundo : Hæc inhaerentia qualitatû in quantitate in speciebus consecratis, non est ex speciali miraculo, sed quia ante consecrationem erat, & per illam non tollitur, sed manet. Ita docent consequenter prædicti authores, potestq; à posteriori probari, argumento in præcedente conclusione facto : nam experientia ibi adducta, præsertim vltima, æque procedit de his accidentibus in subiecto existentibus : & potest ita declarari, quia aliter vniuntur in eodem subiecto superficies, & albedo, quam albedo & calor : sed albedo & calor, licet non vniantur immediate inter se, vniuntur tamen in vno tertio, scilicet subiecto : ergo albedo & superficies magis debent inter se vniri, quam in illo tertio : ergo immediate : & consequenter vt potentia & actus. Maior probatur illa experientia, quod calor propter solam vnionem, quam habet in subiecto cum albedine, non fit per se visibilis, sed tantum per accidens : superficies vero fit aliquo modo per se visibilis, vt sensibile commune, saltem secundum extensionem, quam causat in ipsa albedine; ergo est inter hæc maior vnio, ratione cuius proprietates suas aliquo modo sibi inuicem comunicant.

Secundo solet ratio à priori reddi : quia hæ qualitates non recipiuntur, nisi in materia, seu subiecto extenso : ergo recipiuntur media quantitate : ergo recipiuntur.

Obiectio.

Scotus.

Solutio.

Inhaerentia i qualitatuum in quantitate post consecrationem eadem, quæ ante per se fuerat.

cupiuntur proxime in ipsa: hæc vero secunda consequentia, vt existimo, non est formalis: nam ex vi antecedentis solum sequitur, quantitatem esse dispositionem præuam, seu medium quo; prout fortasse est respectu substantialis formæ; non vero sequitur esse medium quod, sicut non est respectu formæ substantialis. Addendum ergo est, quantitatem in materia esse præuam cæteris accidentibus; & alioqui esse proportionatam illis, vt in ea recipiantur: accidens enim potest esse proportionatum subiectum proximum animales & rationales sunt subiectum proximum suorum actuum, & habituum: quia sunt ex suo genere potentia passiva & proportionata talibus formis: sic ergo quantitas est tanquam potentia passiva respectu qualitatum corporalium: est enim in hoc similis materia primæ, cuius est proprietas, esse aptam, vt afficiatur his accidentibus: sicut experientia etiam monstratum est: & ipsæ etiam qualitates, cum sint materiales, aptissime recipiuntur in quantitate, vt ab illa recipiant corpoream molem & extensionem. Tandem hoc et confirmatur ex mysterio Eucharistiæ, quod hoc modo facillime intelligitur: nam, si qualitas ex natura sua non esset forma quantitatis, fortasse nec supernaturaliter posset eleuari ad informandam illam, quia forma non habet effectum formalem extrinsecum subiectum suum: quare ratione non potest vna qualitas informare aliam, ad quam non dicit naturalem habitudinem, vt albedo colorem, aut intentio voluntatem. Dices, nulla substantia potest alteri inhaerere: ergo nullum accidens potest alteri subistere. Respondetur, vt primum subiectum aptum de se ad sustentandum accidens tanquam primum fundamentum, sic conceditur consequentia: & hoc modo est proprium substantiæ subistere accidentibus: & de eodem dixit Aristoteles: accidens non accidere accidenti: scilicet, nisi in ordine ad aliquod subiectum vtrique commune, & eodem sensu dici solet sola substantia subiectum quod, accidens vero subiectum quo; quamuis in quantum accidens vere inhaeret accidenti, dici potest vnum esse subiectum quod alterius, vt intellectus suorum actuum, & quantitas qualitatum: & hoc modo subistere, nec est proprium substantiæ, nec excedit naturam accidentis.

Dico tertio, per consecrationem nulla fit mutatio in qualitibus ex pane & vino remanentibus. Probatur, quia non mutant inhaerentiam, & consequenter non acquirunt modum per se: ergo nulla in eis fit mutatio. Dices, amittere vniionem, quæ cum substantia habebant. Respondeo, immediate nullam habebant, sed media quantitate: & ideo in se non mutantur, sed in quantitate: sicut, si humanitas definiret esse vnita Verbo, accidentia eius non mutarent modum existendi: quamuis dicerentur definire esse vnita Verbo media humanitate, quia solum per illa vniebantur Verbo: hoc autem intelligendum est, quantum ad modum vniionis: nam quantum ad modum dependentiæ effectiue, si aliqua proprietates panis & vini effectiue pendet in conseruari à forma substantiali, ablata illa, necesse est, dependentiam illam ab alio agente suppleri, & consequenter dependentiam mutari, & eadem ratione, destructa substantia, & conseruata quantitate, naturaliter & sine nouo miraculo conseruantur accidentia, quæ effectiue à substantia non pendebant: quia non habebant immediatam vniionem cum illa: sicut etiam postea familia accidentia naturaliter recipiuntur in quantitate, vt, verbi gratia, cum species calefiunt: at vero accidentia, quæ pendebant effectiue à substantia, non conseruantur naturaliter, nisi Deus efficiantiam suppleat.

Dubium.

Obiter vero hic inquiri solet, an supernaturaliter possint qualitates per se conseruari, separate non solum à substantia, sed etiam à quantitate: aliqui enim

negant hoc esse possibile, vt Ægid. Theorem. 36. & sequentibus, Heruæus quodlib. 11. quæst. 29. & videtur esse opinio D. Thom. quodlib. 7. articulo 10. quia qualitas (inquunt) separata, neque esset indiuidua, neque haberet, quo distingueretur ab alijs, sicut habet quantitas, quæ ex se, & natura sua est principium distinctionis, vt hic ait D. Thom. artic. 2. Vnde 1. par. quæstione 50. artic. 4. dicit, si albedo esset separata, non posset secundum numerum multiplicari. Mihi tamen hæc opinio est incredibilis, præsertim suppositis mysterijs fidei, & contrarium docent reliqui Theologi citati conclus. 1. & specialiter Capreol. d. 12. q. 1. Marfil. q. 9. Ferrar. 4. contra gentes ca. 65. Soto d. 10. q. 2. artic. 2. Ledesma quæst. 18. art. 2. & ratio est, quia, si quantitas conseruatur à Deo, cur non potest qualitas? neque enim magis est de essentia qualitatis actu inhaerere quantitati, quam sit de essentia quantitatis actu inhaerere materiæ. Illud vero quod de indiuiduatione dicebatur, valde friuolum est: quia melius potest vna qualitas per suam entitatem numero & realiter distingui ab alia, quam vna quantitas ab alia: quia qualitas magis habet de actualitate, actus autem est, qui distinguit: vnde impossibile est, quod Capreolus & Ferrar. significant, posse quidem albedinem sic separatam conseruari, illam tamen non fore indiuiduam, & quia impossibile est, aliquid realiter existere, & non esse singulare & indiuiduum, & specialiter repugnat, eandem qualitatem, quæ prius inhaerebat, postea separatam conseruari, & tamen non esse indiuiduam, sicut antea erat, cum eandem entitatem retineat, eo vel maxime, quod licet non sit in subiecto, retinet habitudinem ad subiectum, per quam potest intelligi indiuidua, sicut de anima rationali ipsi docent. D. Thom. autem in prima parte (quicquid sit de illo quodlibet) non loquitur solum de separatione actualis existentiæ formæ à materia, sed de omnimoda abstractione, quæ abstrahat formam etiam ab habitudine ad materiæ, qualis esse non potest in albedine, neque in indiuiduo, neque in specie, sed reperitur in angelis, de quibus alia quæstio est.

ARTICVLVS III.

Vtrum species, quæ remanent in hoc Sacramento, possint immutare aliquid extrinsecum.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod species, quæ remanent in hoc Sacramento, non possint immutare aliquid extrinsecum. Probatur enim 7. Physic. quod forma, quæ sunt in materia, sunt à formis, quæ sunt in materia, non autem à formis, quæ sunt sine materia, eo quod simile agit in sibi simile. Sed species sacramentales sunt species sine materia, quia remanent sine subiecto, vt ex dictis patet. Non ergo possunt immutare materiam exteriorem, inducendo aliam quam formam.

2. Præterea, cessante actione principalis agentis, necesse est, quod cesset actio instrumenti, sicut quis censens, non mouetur martellus. Sed omnes forme accidentales agunt instrumentaliter in virtute forme substantialis, tanquam principalis agentis. Cum ergo in hoc Sacramento remaneat forma substantialis panis & vini (sicut supra habitum est) videtur, quod forme accidentales remanentes, agere non possint ad immutationem exterioris materiam.

3. Præterea, nihil agit vltra suam speciem, quia effectus non potest esse potior causa. Sed species sacramentales remanent accidentales. Non ergo possunt exteriorem materiam immutare ad minus ad formam substantialem.

Sed contra est, quod, si non possint immutare exteriora corpora, non possent sentiri. Sentitur enim aliquid per hoc, quod immutatur sensus à sensibili, vt dicitur secundo de anima. *